

---

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

GANGRÆNA CONTAGIOSA  
NOSOCOMIALI.

---

— Opere Liger  
with the author's aut.<sup>h</sup>



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
GANGRÆNA CONTAGIOSA  
NOSOCOMIALI;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et  
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS D. JOHNSTON,

HIBERNUS;

SOCIET. MED. REG. EDIN. SOD.

viii. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

---

“Vulnus levissimum scalpello acuto, aut telo quovis factum,  
maximas interdum turbas, et gravissima mala, vel et mortem  
ipsam, excitabit.”

HEBERDEN, Commentar.

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805.



ANDREÆ DUNCAN, M. D.

IN ACADEMIA EDINENSI

MEDICINÆ THEORETICÆ PROFESSORI,

Ec. Ec. Ec.

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMÆ OBSERVANTIAE

MONIMENTUM,

SACRAM

VULT

CAROLUS D. JOHNSTON.

Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

NEC NON,

THOMÆ BURNSIDE, M. D.

APUD SLEGUM

IN HIBERNIA DEGENTI,

OB

INGENII SUAVITATEM,

ALIASQUE OMNES

HONESTI ANIMI DOTES,

CONSPICUO;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

{ OFFERT

AUCTOR.



DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> MEDICA

INAUGURALIS

DE

GANGRÆNA CONTAGIOSA  
NOSOCOMIALI.

---

DOLENDUM est nosocomia, quibus optimè malis humani generis consulitur, ex quâcunque causâ, ad morbos propagandos unquam contulisse. Hoc autem nonnunquam reverà fieri, quæ in hujusmodi receptaculis eveniunt, satis superque docent. His autem morborum causis, si quando adsint, feliciter plerumque occurrere possumus. Morbos contagiosos in hujusmodi locis haud rarò primùm sese osten-

A

dere

## 2 DE GANGRÆNA CONTAGIOSA

dere satis constat: exempla igitur proferre, omnino supervacuum duxi.

Inter hos morbos mala quæ ex *Gangræna contagiosa nosocomiali* oriuntur, summam attentionem postulant; ægrum enim miserrimè exercent, et maximam molestiam medico sæpè facessunt, qui artem suam tam parùm valere sæpè dolere cogit, dum beneficia publica in necem converti videt. Exempla hujus morbi, chirurgis Gallicis literis tradita, strages ejus gravissimas probè demonstrârunt; qui, ex frequentia hujus mali, casus ex specie levæ manu tractare recusârunt, quippe, si vulnus levissimum fortuitò accepissent, hoc mortiferum fieri credebant. Si igitur nosocomia quæ militibus accipiendis dicantur, his nimis conferta fuêre, et hæc gangræna exinde originem duxerit, summum periculum instare, perspicuum erit; et miles vel nauta, qui vitam pro patria aperto periculo objecerat, in hujusmodi valetudinarium receptus, cum peste, ferro magis timenda, conflictare cogitur.

Rem

Rem ita sese nonnunquam habere, historia belli recentis satis testatur \*.

In hisce exemplis similibusque, remedia non deesse quibus morbo mederi, vel saltem eum mitiorem reddere possumus, ostendere consilium est. Hic maturè factò opus est, et beneficia quæ ex remediis peritè et promptè in auxilium allatis proveniunt, maximè conspicua sunt: multùm certè pendebit ex natura loci, cœli regione, et aliis rebus, quas pro arbitrio regere penes nos non est.

Quo natura hujus argumenti pleniùs elucescat, morbi historiam, ex scriptis aliorum partim depromptam, propriâ experientiâ partim nitentem, tradere liceat.

HIS-

---

\* Vid. BLANE, p. 204. et DEWAR "on Diarrhœa and Dysentery," p. 12, 13.

4 DE GANGRÆNA CONTAGIOSA

HISTORIA MORBI.

PAUCI auctores de hac ulceris specie scripserunt, etsi quædam in auctoribus chirurgicis subinde occurrunt, quæ hunc morbum minimè rarum fuisse fidem faciunt, ut ex scriptis DESSAULT, LE DRAN, et aliorum, præsertim Gallicorum, patet. Variis temporibus, et in diversis regionibus, ei varia nomina indita fuere; utut, *Ulcus malignum*\*; *Ulcus putridum*†; *L'Ulcere humide des Hôpitaux*‡; *Hospital Gangrene*||; *Hospital Sore*\*\*; *Ulcus veneno*

---

\* Medicina Nautica, by THOMAS TROTTER, M. D.  
vol. ii. iii.

† GILLESPIE, "London Medical Journal," vol. vi.

‡ Oeuvres Posthumes de POTEAU. Vide etiam  
"Essai sur la Gangrene humide des Hôpitaux, par  
les C. C. MOREAU et BURDIN," Paris, 1796, 8vo.

|| BELL's (JOHN), "Principles of Surgery," vol. i.

\*\* BELL's (JOHN), "Answer to Dr GREGORY's  
"Memorial."

*veneno peculiari vitiatum*\*; et nuper Doctor LESLIE eam *Gangrænam contagiosam* appellavit †. “The name and definition of a disease (ut TROTTER rectè monet) are of more importance than is usually thought: they are like a central point to which all converging rays tend: they direct future inquirers how to compare facts, and become the base on which accumulating knowledge is to be heaped.” Nomen hujus mali, quod vulgo in usu est, *gangræna* nimirūm *nosocomialis*, medicos exercitatos ad mutations quas aër in iis locis subit, assiduè observandas satis monet, quo utprimùm aliquid hujusmodi evenerit, ad vim ejus nocivam delendam sedulò incumberent. Chirurgi Gallici, POTEAU nempè et DUSSASSOIS, primùm de

---

\* “A short Account of a Morbid Poison acting on sores, and of the method of destroying it, by JOHN ROLLO, M. D.” in the Appendix to his Work on Diabetes, 2d edit.

† Diss. Med. Inaug. audt. G. LESLIE, Edin. 1804.

## 6 DE GANGRÆNA CONTAGIOSA

de hoc morbo aliquid literis tradiderunt\*; hi enim effectus ejus gravissimos in Nosocomio *Hôtel Dieu* dicto observârunt: et hos subsecuti sunt medici in hac regione quibus morbum in nosocomiis nautis et militibus dicitis videndi facultas erat, inter quos BLANE † et HENDERSON ‡ annumerari merentur.

Hic morbus in nosocomiis, et in navibus ubi plures homines unà congregantur, sese ostendere solet; et nonnunquam, sed rariùs, medicis, artem apud plebeculam exercentibus, occurrit. Nullum anni tempus, præ cæteris, homines huic morbo magis opportunos reddere videtur: de hoc tamen variæ sententiæ sunt; nonnulli enim, cœlum frigidum progressui ejus obstare contendunt; dum alii contrariam opinionem

---

\* DUSSASSOIS, "Dissertation et Observation sur  
"la Gangrene des Hôpitaux." Genev. 1787.

† "Observations on the Diseases incident to Seamen." By GILBERT BLANE, M. D. &c. London, 1785.

‡ Vid. "Med. et Phys. Journal," vol. i.

opinionem tenent. Imperium autem quod status aëris in omnibus ferè morbis exerceat, benè notum est.

Omnia vulnera, etsi non æquè, huic malo objiciuntur. ROLLO ulcera ex contagio specifico, ut ex lue venerea orta, hujus veneni impetum haud experiri affirmat ; nec ea quæ ex scrophula dignuntur ei patere. Ex analogia autem, hæc ulcera intra certos limites solummodo huic veneno resistere suspicarem : virus quoque ex ulceribus hâc gangrænâ cor- reptis, iis quæ ex carcinomate oriuntur ad motum acerbitatem suam exerit\*, quod opinioni Doctore ROLLO amplexæ adversatur : et ipse duo ægrotantium exempla conspexi, qui bubone venereo ad suppurationem usque proiecto laborabant, et qui ex ægro in eundem locum recepto huic viro objectus est, quo fit, ut solitam hujus gangrænæ speciem in duebat, et, usque ad arteriam epigastricam porrecto, mortem intulit. Plerumque, quò amplior

---

\* Audi Prælect. Chir. Clin. Dom. RUSSEL.

## 8 DE GANGRÆNA CONTAGIOSA

amplior est vulneris superficies, eò magis huic morbo obnoxium est. Hæc ratio videtur, quare partes ustæ ad hoc vitium suscipiendum maximè proclives habentur; idem de iis dici potest, quibus cuticula vesicantibus abrasa est. Ulcera quæ partes corporis inferiores obsident, huic præprimis esse opportuna, a nonnullis dicuntur; et chirurgi Gallici, MOREAU nempè et BURDIN, vulnera quæ in calvaria terebranda fiunt, huic malo præ cæteris esse obnoxia observârunt. Cùm autem gangræna nosocomialis certum sævitiæ gradum attigerit, ulcus levissimum ei objectum naturam hujus gangrænæ malignam statim ostendit, et ea, quæ LIND apud Bataviam observavit, referre videntur.

Cùm gangræna nosocomialis ulcus quodvis adoritur, minorem humoris copiam effundit; pyrexiae signa hoc plerumque prægrediuntur. ROLLO autem affirmat se vidisse exempla, ubi signa hujus morbi solita per plures dies adfuerunt, nullâ febre comitante; et ipse idem observavi. Ulceris margines inflammantur,  
et

et colorem rubeum exhibent, inflammatione, circa duos digitos transversos, ex ulcere prorepente \*, oræ cujus potius duræ quam tumidæ, semper dentatæ et irregulares, apparent †, granulationes rubicundæ vel purpureæ evadunt, et sæpè maculis subalbidis vel cinereis, iis quibus aphthæ stipantur similibus, obducuntur. Dolor, undequaque ex ulcere lacinans, gravissimè sævit, et delirium nonnunquam inducit; partes vicinæ sæpè erysipelate corripiuntur, dum vesiculæ saniem nigram effundunt; et partes subjectæ molles et flaccidæ, brevi in gangrænam et sphacelum abeunt. Cùm partes sphacelo affectæ decidunt, superficies ulceris satis nitida apparét, speciemque benignam induit. Sed si ulcus propè sanatum fuerit, antequam hâc specie gangrænæ afficiebatur, vesicula fusca, humore subnigro repleta, circa marginem ejus primùm comparet, ex qua morbus

B

undiique

---

\* POTEAU.

† Idem.

## 10 DE GANGRAENA CONTAGIOSA

undique sese diffundit, et sanies viscida, cruenta, pessimi odoris, et vicina exedens, effluit; dum ulceris superficies quasi striis sanguinis tincta apparet; accedunt brevi gangraena et sphacelus, qui musculos tendinesque consumunt; et etiam ossa ipsa carie exeduntur.

Febris plerumque horrore, nauseâ, et vomitu ingruit. Dolor capitis admodum gravis est, et æger nonnunquam delirat. Pulsus debilis, frequens, et irregularis est; nonnunquam citatus et plenus evadit. Lingua arida est, dum sitis vix expleri potest. Summa anxietas adest, quæ unâ cum dolore vehementi, ne æger molestiæ levamen ex somno peteret, obstat, qui ne quidem medicamentis conciliari potest. Cùm ulcus nitidum apparet, et signa febris mitescunt, sæpè ad sanitatem perducitur: in plerisque autem exemplis, signa recrudescunt, et morbus eundem cursum relegit; dum vires maximè prosternuntur, et corpus macie conficitur. Nonnunquam granulationes, iis quæ in ulceribus ad sanitatem vergentibus eveniunt

haud

haud absimiles, et fraga referentes, per totam superficiem ulceris sese ostendunt, et morbum esse abitum fidem faciunt. Hæ autem raro humorem ullum effundunt; sæpè enim noctis spatio absorbentur, et tendines et ossa denudata relinquunt; quibus hectica supervenit, et ægrum e medio tollit.

Scriptores Gallici morbi varietatem describunt, in qua signa quibus ab initio comitatur, ea referunt, quæ ex morsu *viperæ*, vel insectæ pestiferæ, oriri solent. Hæc latè serpunt; vesiculis subfuscis circumdantur; et solitum morbi decursum ferè sequuntur. Species haud absimiles quæ in India Occidentali sæpè conspiciuntur, a Doctore TROTTER, in libro cui nomen *Medicina Nautica* inscribitur, memorantur. Cùm extremæ corporis partes hac gangrænâ corripiuntur, materia acris ex ea absorpta bubones in inguine vel axilla gignit: hi sæpè in suppurationem abeunt, et nisi morbus in melius verti incipit, ægrè sanantur.

Facies quoque, quam hic morbus exhibet, ex sede ejus, ex consuetudine ægri, et aliis ei propriis,

## 12 DE GANGRÆNA CONTAGIOSA

propriis, multùm pendebit. Ut cunque autem hoc erit, si ad inflammationem celeriter serpentem, ad febrem et gangrænam, respiciamus, natura morbi satis manifesta erit. Exempla Gangrænæ Nosocomialis mitiora sæpè in conspectum veniunt, in quibus ulcus per unam alteramve diem veneni vim experiri videtur, et pars affecta plùs minùsve dolet; febris autem levis est, vel nulla, et res brevi melius sese habent; hoc tamen non semper ita evenit, et præsertim si æger causæ unde profluxerit malum adhuc objectus maneat, redire solet, peritiâ medici nequaquam obstante, qui forsitan naturam ejus parùm perspexerit.

Tempus quod præterire solet, antequam æger in hunc morbum incidit, postquam contagio ejus objectus fuerit, minimè pro certo constat. In Nosocomio Regio Edinensi, hoc, intra tres dies, in uno exemplo, obtinuisse verisimile fuit\*.

CAUSÆ,

---

\* Diss. Med. Inaug. auct. G. LESLIE, Edin. 1804.

## CAUSÆ.

CAUSÆ ad eas quæ proclivitatem dant, et quæ morbum proclivibus concitant, relegari possunt. Illa vulnera vel injuriæ quibus quotidie objiciuntur homines, dum munia solita vitæ obeunt, vel dum sævit bellum, corpus causæ hujus mali excitanti obnoxium reddunt: quò ampliora quoquè sunt vulnera, eò, ut jam dictum est, magis ei patent. Qualis sit corporis habitus qui vulnera aptiora reddit ut hoc morbo affiantur, inter medicos minimè convenit. Chirurgi Gallici, eos quibus vires morbis prægressis franguntur huic gangrenæ maximè esse opportunos contendunt: GILLESPIE \* et alii, eos qui hydrargyro sæpiùs usi sunt, et qui diu in regionibus calidis commorati fuere, proclivitatem exinde accipere opinantur. Dum ex observatis chirurgorum

---

\* Vid. GILLESPIE, "London Medical Journal," vol. vi.

rurgorum navalium, in *Medicina Nautica* traditis, homines, optimâ valetudine fruentes, et sæpè temperantiâ insignes, æquè ac alios in hunc morbum incidere appetit.

Hæ sententiæ certè admodum diversæ sunt. Non dubium est quin venenum vulneribus rectè admotum, ut sæpè in nosocomiis evenit, morbum ferè in omnibus exemplis concitet; et si ægri validi fuêre, inflammatio quàm in debilibus graviùs urgeat. Ulcera, quorum origo ex morbo specifico repetenda est, non omnino obstare quò minus hac gangrænâ inficiuntur, suprà observatum est.

Contagium sui generis, partibus sauciatis, vel quæ cùticulâ orbantur, admotum, causam esse hujus mali excitantem, omnes ferè medici consentiunt. Hoc contagium in certis locis, et sub certis conditionibus, generari potest. CULLENUS jurè observavit, effluvia ex corpore humano provenientia, circa superficiem ejus diu detenta, in venenum sanitati infestum converti: et PRINGELIUS, contagium febris ex membro gangrænâ corrupto

se deduxisse affirmat. Si igitur atmosphæra his causis inficitur, hoc maximè in nosocomiis et in navibus obtinere debet ; ibi enim, ubi plures homines unà congregantur, effluvia quæ ex multis ulceribus mali moris, et ægris alijs morbis decumbentibus, proveniunt, ad statum aëris vi nocivâ præditum gignendum, plurimùm conferre, satis patebit ; et nescio an omnino in eptum sit ponere id, quod ex materia animali putredinem subeunte, ulceribus admotum est, ea in naturam ei similem unde originem traxerit quodammodo converti. Quoniam natura contagii admodum fugax est, et minimè compare potest, ita ut sui rationem redderet, nil certi de modo quo gignitur statuere possumus : cùm autem in locis jam descriptis sæpiissimè sese ostendit, id ibi primùm generari, colligere fas est.

Dominus JOHANNES BELL, et quidam alii, causam gangrænæ nosocomialis ex effluviis quæ ex iis typho laborantibus oriuntur reputunt\* : etsi autem hæc aliquantulum valeant,

pro

---

\* BELL'S (JOHN), "Answer to Dr GREGORY'S  
"Memorial."

## 16 DE GANGRÆNA CONTAGIOSA

pro causa hujus mali nequaquam habenda sunt: in typhi enim exemplis, etsi cuticulæ haud exigua portio vesicatoriis sæpè removetur, et gangræna sæpè supervenit, indicia morbi de quo agitur nullatenus sese produnt.

Cùm signa hujus gangrænæ in ulcere quovis apparent, vulnera aliorum quæ ei vicina sunt brevi in mali consortium rapiuntur, si non statim ei occurritur: an hoc ex viro aliis ulceribus rectè admoto, vel ære intermedio proveniat, statuere difficile est. Modo autem posteriori raro communicari videtur; et Dom. JOHANNES BELL nos certiores fecit, hanc gangrænam tantùm in nosocomio apud *Yarmouth* sæviisse, ut nullæ incisiones chirurgicæ in una parte ædis institui potuissent, dum in iis ex adverso decumbentibus, (pariete tenui solâ interpositâ), multæ felici cum eventu peractæ fuêre.

Venenum ulceri rectâ applicatum, naturam suam malignam ostendere, multa docent; et exempla POTEAU et DUSSASSOIS allata, ulcera pessimi generis inter oppidanos apud Lugdunum originem duxisse, ex linteis adhibitis,

bitis, quæ ex nosocomio *Hôtel Dieu* dicto desumpta fuere, dum hæc gangræna ibi sævievat, planè demonstrârunt ; et eodem tempore fœminæ quæ nosocomio famulantur, sæpè morbo correptæ fuere, si ulla ulcuscula, præsertim in manibus, quippe frequentius ægrotantibus admoti habuerunt. Et Doctor ROLLO malum latè in ægros diffusum, ex iis spongiis sine discrimine omnibus admotis, reperit. TROTTER, in opere *Medicina Nautica*, hanc gangrænam contagio minimè grassari, probare aggressus est, etsi litteræ ex chirurgis in hac re maximè exercitatis, in eodem libro traditæ, contrarium suadent ; hic auctor autem, abusui liquorum spirituosorum nimiùm tribuens, huic sententiæ argumentis firmissimis stabilitæ strenuè resistit, et malum ebrietati et intemperantiæ omnino ferè attribuit.

MOREAU et BURDIN morbum ex irritabilitate partis imminuta, oriri posuerunt : hæc autem opinio, vaga omnino est, et nil certi continet ; effectum enim pro causa habuisse videntur.

## 18 DE GANGRÆNA CONTAGIOSA

DUSSAUSSOIS virus ex ulcere, hâc gangrænâ correpto, ad mammam carcinomate laborantem adhibuit, sphacelum et deinde statum ulceris saniorem inducendi consilio: hoc autem non fieri potuit, donec mamma forcipe contusa fuerit; quo facto, res ad spem evenit.

His omnibus rite perpensis, hanc gangrænam esse contagiosam manifestum est.

### DIAGNOSIS.

ULCERA quæ cum hoc morbo confundi periclitantur, ad tres species relegari possunt; inter quas ulcus *ex scorbuto ortum* huic forsitan maximè affine est, et cum eo, præsertim in navigatione, confundi potest. In ulcere autem scorbutico, si ad habitum ægrotantis, ad languorem insolitum, pulsum debilem, artus rigescentes, et præsertim ad speciem quam ulcus exhibit, respiciamus, diagnosis minimè difficilis erit. Ulcus scorbuticum, ut Doctor

LIND

LIND describit, pus bonum nequaquam effundit; et hoc huic gangrænæ cognatum est, in priori materia tenuis, fœtida, et sanguine commixta effluit, quæ tandem quasi coacta super ulceris superficiem incubit, vix detergenda; pars infrâ mollis et spongiosa est, et hæc coagula subinde renovata, stimulantibus adhibitis non removeri possunt; margines carne lividâ et molli intumescent, et, morbo in pejus ruente, fungus cruentus excrescit, quem nautæ *bullocks liver* appellant, cui elixo satis similis est; hi tumores, noctis unius spatio, ad molem abnormem sæpè accrescunt; et, ut LIND habet, “ they continue for a long time without tainting the bone, the patient is not usually feverish, and is free from headach.” In gangræna autem nosocomiali, febris sæpè gravis urget, ulcus potius depresso quàm tumidum est, et multò magis dolet.

*Ulcus phagedænicum* pro hoc morbo, primo aspectu, assumi potest: Materiâ autem soridâ minùs profundè obducitur; non tam citò  
ad

ad musculos protenditur; humor minus copiosè effunditur; pyrexiae signa non ita urgent, neque inflammatio tam latè patet, nec speciem erysipelatodem marginum exhibet, quæ sæpissimè in gangræna nosocomiali conspiciuntur.

Hic morbus ex *gangræna communi*, quæ partibus mollioribus læsis supervenit, ex signis prægressis maximè secernitur.

## PROGNOSIS.

IN iudicio de eventu hujus mali ferendo, ad statum gangrænæ præsertim respiciendum est; quò enim amplior ejus superficies, quò altius inter musculos descendit, et quò propriùs est arteriis majoribus, eò prognosis magis infida erit. Ex gradu febris quoque prognosis magna ex parte pendebit: si hæc levis fuerit, et brevi persisterit, rem benè esse censuram concludere liceat; si autem febris recrudescat, dum ulcus speciem malè sanam exhibet,

hibet, ne morbus exitum infelicem habeat, timendum est, et præsertim si æger aëri contaminato adhuc objectus fuerit: si attentio debita ad causam morbi excitantem removen-  
dam, mundicie, et aërem probè renovando,  
adhibita fuerit, et præprimis si æger ex aliis  
eo correptis omnino sejunctus fuerit, remedii  
opportunè in auxilium admotis, finis morbi  
felicioris è major spes erit.

## MEDENDI RATIO.

IN hoc morbo vim febris compescere, et mutationem in ulcere saniorem inducere, consilium est.

Si ulcus hujus mali indicia primùm ostenderit, remedia aptanda sunt, et quidam *sanguinem* ex marginibus partis gangrænosæ, hirudinibus vel cucurbitinis, *detrahere* præcipiunt; et si nulla febris urgeat, hoc forsitan proderit. Quoniam autem in omni ferè hujus morbi exemplo, signa adsunt quæ totum corpus

corpus affici demonstrant, et ulcus pro gradu febris plerumque faciem mutat, huic occurtere necesse erit. Febris ad *typhum* ferè vergit, et cùm *affusio frigida* in typho communi hujus regionis cum felicissimo eventu usurpata fuit, eam quoque in hoc morbo prodesse verisimile est. Medici autem ad hoc remedium in gangræna nosocomiali non adhuc confugerunt, etsi forsan non sine beneficio adhiberi potest. Si unquam ad hoc decurritur, regulæ quæ a Doctore CURRIE celeberrimo, accuratissimè traditæ fuere, servandæ sunt\*. In quibusdam casibus omnia pyrexiae signa *emetico*, ut primum nausea et dolor capitis supervenerint, adhibito, paucis horis cedunt, sudore liberè manante. Si autem his morbus non solvit, cùm prima inflammationis indicia remiserint, *vinum* et *opium* liberè præbenda sunt, et dolor admodum acutus et anxietas opium dosi solito ampliori exposcunt. Sunt qui *submuriatem hydrargyri* laudant; et ubi alvi purgatione opus est, op-

timè

---

\* Aud. Prælect. Dom. THOMSON, Chir. Profess.

timè convenit. *Cinchona*, quæ tantis viribus in aliis gangrænæ exemplis pollet, in initio hujus raro adhiberi potest, propter nauseam quâ tunc ferè comitatur; post autem turbam ventriculi sopitam, cum beneficio uti potest. Etsi multi medici, hoc morbo versati, hoc remedium sæpè nocere strenuè contendunt, et chirurgi Gallici huic opinioni maximè addicti sunt; nimis citò autem ad eam forsitan confugerint. Quando adhibenda est cinchona, cum vino, cerevisia (Anglicè *Porter*,) vel acido sulphurico, vel nitrico, diluto, optimè conjungi potest. Alia remedia in typho usurpatæ, in hoc quoque morbo commendata fuere: hujusmodi sunt *camphora*, *diaphoretica*, &c. *DUSSAUSSOIS supertartritem potassæ*, per totum mali decursum, laudibus effert; quomodo autem valere potest, nisi vi refrigerante vel alvum subducendo, non satè video, et periculum est ne diarrhœam, hoc morbo implicitis, inimicissimam induceret.

Si remedia jam dicta peritè adhibita fuere, res plerumque prosperè eveniet. Observandum

## 24 DE GANGRÆNA CONTAGIOSA

dum autem est, opium incautè in morbi initio concessum, signa sæpè exasperare ; in provectionibus tamen ejus stadiis, remedium sæpè præstantissimum est.

Omnibus quæ ad corpus universum spectant jam perpensis, de iis topicis quæ sunt admodum dicendum restat. Chirurgi Gallici contagium, in multis exemplis, ulceri rectè admotum fuisse, jurè forsan opinati, ad superficiem ejus, et partes vicinas inflammatione corruptas, cauterio delendas semet accinxerunt. Cùm usus ferri candardis apud hodiernos omnino obsolevit, alia sunt utenda : hoc consilio, nitratas argenti, potassa, potassa cum calce, et oxidum hydrargyri rubrum per acidum nitricum, in usu sunt. Hoc ultimum medicamentum a Doctore ROLLO maximè laudatur ; qui id decomponi, et cum veneno conjungi, quòd hoc iners evadit, persuasum habet : Ad hoc quoque perficiendum, acidum nitricum, vel oxy-muriaticum, ulceribus vitiatis adhibenda jubet. Etsi hisce chemicis rationibus assensionem cohibeamus, hæc, quippe vi stimulante

mulante et escharoticâ pollentia haud parùm nonnunquam valuisse probabile est; periculum autem est, ne in primo morbi stadio admota, inflammationem adaugeant. Omnes medici qui de hoc morbo scripserunt cataplasma et fomenta minimè esse usurpanda uno ore profitentur. Chirurgus navalis vaporem aquæ ad gradum centesimum FAHR. calefactæ, ope machinæ de industria fabricatæ, per unam alteramve horam quotidie admotum, optimos effectus edidisse affirmat\*. Cùm autem nulla exempla traduntur in quibus auxilium attulit, quid boni ex eo sperandum est non statuere liceat. Succus gastricus ex animalibus graminivoris ulceribus admotus fuit, quæ, etsi *scorbutica* appellata fuêre, medico qui primùm ex chirurgis Anglicis hoc expertus est, ea de quibus nunc sermo est maximè referre videntur †. Linteum, tincturâ opii vel solutione ejus aquosâ madefactum,

D

adhibitum

---

\* Vid. "Med. et Phys. Journal for Dec. 1804."

† Vid. Medicina Nautica, vol. ii. p. 223.

adhibitum est, et nonnunquam prodesse dicitur; partis enim affectæ sensum obtundere, et dolorem levare, videtur. In Nosocomio Regio Edinensi ad unguenta calida, exterebinthina confecta, sæpissimè decurritur; et dicitur cum maximo fructu usurpari. Sed memoriâ semper tenendum est, omnia hæc remedia parùm valere, nisi æger ex aliis morbo laborantibus priùs sejunctus fuerit, et in aëre purissimo ponitur.

### PROPHYLAXIS.

Ne sani in hunc morbum incident, legibus nuper tam benè definitis, quibus morbos contagiosos arcere possumus, sedulò obtemperare necesse erit. Imprimis, sanos ex iis labe correptis segregando, morbo optimè occurritur; et candum est ne ullis panniculis vel vestibus contagium ex uno ad alterum deferatur: hoc, medici in Nosocomio *Hôtel Dieu* dicto, Lugduni, satis caverant, qui, nulla lintea in iis locis

cis esse paranda ubi morbus sese ostenderit,  
præcipere solent.

In nullo alio morbo quām in gangræna nosocomiali effectus aëris puri probè renovati magis conspicui sunt; et exempla chirurgis Gallicis narrantur, in quibus ægri in ipso lumine mortis, ad locum moribundis destinatum, “*salle des agonisants*” dictum, delati fuere, et ibi mirificè convaluerunt.

Summa mundities semper servanda est, et ægri, hoc consilio, sæpiùs in balneum descendere debent. Quibus modis optimè cavitur ne morbi contagiosi latè sese diffundant, ex opera quam JOHNSTONE, SMYTH, et MORVEAU, haud inauspicatò huc collocârunt, satìs innotescit. *Gas acidum oxy-muriaticum et nitrosum*, in contagio delendo, maximis viribus pollere, omnes consentiunt; etsi enim rationem modi quo hoc perficiunt reddere non possumus, ea autem maximè valere ex multis patet. Cùm enim odorem peculiarem et ingratum, quo atmosphæra contagiosa ferè sentitur, hi vapores acidi brevi plerumque destruunt, materiam

materiam contagiosam his conjunctam vim  
nocivam forsan deponere, colligere fas est;  
odore enim rei cuiusvis mutato, mutationem  
quoque in dotibus fieri haud negandum est.

